

V E C T I G A L
LAUDUM
M A T R I S
V I V E N T I U M
M A N E S P A R T H E N I O S
I M M O R T A L E S P R O P U G N A N S

In Anniversaria Exequiarum

Solennitate

A L M Æ S O D A L I T A T I S
MAJORIS BEATISSIMÆ
V I R G I N I S

M A R I Æ
A B A R C H A N G E L O S A L U T A T Æ

In Cesareo & Academico Societatis JESU Collegio ad S. Clementem

Præ Erepta & Confirmata

Oratione Funebri Celebratum Anno 1701. Die Aprilis.

A REVERENDISSIMO & PERILLUSTRI DOMINO

JOANNE JULIO IGNATIO RUCZKY DE RUCZ,

Suæ Sanctitatis, & Sedis Apostolicæ Protonotario Apostolico, Sacri

Palatij Lateranensis Comite, & Districtus Boleslaviensis Archi-Episcopalis

Vicario Foraneo, Hradistij ad Iseram Decano,

Cum Licentia Superiorum.

PRAGÆ, Typis Joannis Caroli Gerzabek,



ILLUSTRISSIMO
AC
EXCELLENTISSIMO
DOMINO DOMINO
ERNESTO
JOSEPHO
SACRI ROMANI IMPERII
COMITI DE
WALDSTEIN,

Hæreditario Domino Dominorum Hradisst, Kloster, Zvveretitz, Waleczovv, Studenka, Soletz, Kniezmost, Bürglitz, Krussovitz, Nissburg, Dux, Oberlauthensdorff, Hiersberg, Biella, Kurzyvvod, Sasatka, Koczni-ovvitz, Magno-Skall, & Civitate Turnoviensi
super Iseram, &c. &c.

Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Intimo
Actuali Consiliario, Camerario, & Regio in Regno Bo-
hemiae Locumtenenti.

Domino Domino Suo
Gratiosissimo & Clementissimo.



ILLUSTRISSIME
ET
EXCELLENTISSIME
DOMINE COMES
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME.

Quod hæc Oppella mea de umbris
agens, Tuis nixa auspicijs in pu-
blicum eluetetur, jussit Tua in
Matrem Virginem ubique per-
specta Illustrissima Pietas, qua etiamnum
usq; hodie Parthenijs obsequijs authoratur,
continuato veterano fervore Excellentissimo
Exemplo Clarescis. Itaque ad manus Tuas,
nihili quidem sui conscientia, rudioréque miner-

va con-

va concinnata , hæc tenuis pagella confugit,
ubi se securam , & pro innata Tua in omnes
Clementissima suavitate eò saltem titulo fo-
vendam non ignorat, quòd Virgineo devo-
ta Obsequio, consecrata Encomio , Maria-
no Honori tributaria LAUDUM VECTI-
GAL MATRI VIVENTIUM deferat;
Piósque Partheniorum Clientum Manes
Immortales propugnet ; Tantóque gratior
futura, quantò magis de re grata : de MORTE
Sub iugata ac tota destructa, pro cuiusvis
viventis voto , vitam in Mortuis nunquam
Morientibus enuntiando differit ; Tibique
simul vitam in terris ità felicem, ut Ecclesiæ,
Regno , Tuo, Tuorūmque Solatio & Emo-
lumento vivas æternūm Incolumis, since-
rissimè precatur ac efflagitat.

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

Æternūm Obstrictus

JOANNES IGNATIUS RUCZKY
DE RUCZ.

ORATIO.



Erxes ille Rex Persarum potentissimus,
orbis timor ac tremor, devictis Regibus, sub-
jugatis Regnis ac Provincijs, subrutis monti-
bus, ipsi etiam oceano injectis compedibus,
cum de sublimi loco infinitam hominum multi-

S. Hieron: tudinem, & innumerabilem exercitum vidisset, fleuisse dicitur:
ad Heliodo- quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfu-
rum.

rum. O quam citò! exorta Iux in fatales umbras desi-
nit. Pergit ulterius purpuratus Dalmata: O si possemus super
talem ascendere speculam, de qua univer sam terrā sub pedibus cerne-
remus, videre liceret admirandas mundi ruinas, gentes gentibus,
Reges Regibus, regna Regis collisa; alios torqueri, alios fluctibus ab-
sorberi, alios in servitutem trahi; hic nuptias, ibi planetum; hic
nasci, ibi mori; alios divitijs affluere, alios mendicare, & non
tantum Xerxis exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vi-
vunt in brevi spatio defuturos.

Super quæ S. Augustinus lib:
de natura & gratia: O homo respice te ipsum qui mortalis terra
es, & in terram ibis, circumspice ubi sunt, qui magnis fluxere
splendoribus? & ambiebant currum potestatis? Ubi insuperabiles
Imperatores? ubi qui disponebant conventus & festa? ubi vestes
pretiosæ & peregrina ornamenta? Ubi servorum turba? Ubi jocus
& laetitia? Nonne omnia pulvis & favilla nonne in paucis versibus
eorum paret memoria? respice eorum sepulchra & vide, qui servus,
qui Dominus, qui Dives, qui Pauper? Discerne si potes victimum à
Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi, vide si est aliquod in eo
signum jactantiae, memorare utique natura nè extollaris. His ac-

S. Gregor. cedit magni Gregorii doctrina: Qui considerat qualis erit in
lib. 12 mo- morte, semper parvidus erit in operatione, atque inde in oculis sui
rat.

Con-

*Conditoris vivet, nihil quod transeat, appetit, cunctis vita praesentis
desiderijs contradicit, & penè mortuum se considerat, qui moritu-
rum se minimè ignorat ; perfecta enim vita est moris meditatio.
Longævum aliquid est in hac Orbis Machina, sed Æternum
nihil ; omnia seriùs aut citius in tumulum vel ruinam præcipi-
tantur ; imò totus quantus est orbis, tot fulminibus percussus,
tot fatigatus bellis, tot montium jugis ac triumphalibus colos-
sis penè fractus, momento Oneri cogitur succumbere. Au-
gusta Urbium pergama ætate fessa, suo insepta jacent cineri ;
superbæ ædes, huic, quem residuum posteritati reliquèr cine-
rem, illud inscripserunt : jacent. Muti Palatiorū parietes tot sce-
lerum concij, & tandem Serâ correpti verecundiâ, suis latent
in ruderibus ; Magnifici illi tot Regum Principumque colossi
suæ incubuere Ruinæ. Sic quidquid ortum est, Ruinam me-
ditatur. Phosphorus vergit ad Hesperum ; ortus ascendit sol,
ut in occasum descendat ; dies oritur, ut in noctem definat ;
annus labitur, ut elabatur. Frustrà igitur frustrà, projecta
in altum Capitolia, superbæ ædificiorum moles vestris supra
humiles gazas gloriamenti turribus ; quid juvat, quod infractis
munitionibus serisque concludamini, si vos inermis expugnat
Libilitina. Edcite jam ! quo abièrè illi magnanimi Triumpha-
tores, quo fortissimi æquè ac fortunatissimi Alexandri ! quo in-
victi scipiones, illa Romanæ potentiaz fulcra ; certè hos omnes
inermis Libilitina marmoreis erectos Palatijs, sepulchrali
obruit saxo. Etiam ipsi, ad gentilitatis tenebras damnati
Philosophi, Meridiana luce clariùs formidabilem agnoverunt
Libilitinæ potentiam. Sufficiat hic vel unus Seneca ita E- *Seneca*
pist. 24. scribens. *Quotidie ebess morimur ! quotidie enim Epist. 24.*
*demitur aliqua pars vita, & tunc quoque dum crescimus, vita decres-
cit ; infantiam amissimus, pueritiam pariter ac adolescentiam, usque
ad hesternum diem quidquid transiit, morti in prædam cessit, &
hunc ipsum quem agimus diem cum morte dividimus, nihil æquè
tibi proficer ad temperantiam, quam frequens cogitatio brevis avi,
& hujus incerti ; quidquid facis, respice ad mortem. Ite jam
illu-**

illustres animi, & vos obscuris, qui delitescitis angulis, ite mor-
Ad Hebreos 9. tales, lex universa jubet & nasci & mori. Statutum est homi-
nibus semel mori. Mors ultimum vitæ punctum, sed à quo
pendet Æternitas, quæ patiis obtingit felix: pauci enim ele-
Matthæi 20. cti sunt. Arcta via est, que dicit ad vitam & pauci sunt, qui in
veniunt eam. Incarnatæ Sapientiæ est Oraculum. Ex his
Matth. 7. clarè concludere licet, morte nihil formidabilius, nihil
Joel. c. 2. potentius. Diem ejus ita describit Propheta Joel. Magnus dies
1. Petri c. 4. Domini & terribilis valde, quis sustinebit eum? in hoc die refe-
rente Apostolorum Principe: justus vix Salvabitur, impius &
peccator ubi parebunt?

Esther 15. Verùm altius erigere in fiduciam Alma Sodalitas, quæ
etiam hodie, ut video, inter Tragicorum colorum catastrophes
vidēris ponere luctus. Non pro te, sed pro omnibus hac lex consti-
tuta est. Tu sub auspicijs Omnipotentis Matris Viventium con-
gregata nihil commune cum morte habes; Tu Filios tuos in
finum Vitæ, quæ genuit vitam, contulisti; Tu mortis horridæ
horror facta, arcus & sagittas ejus confregisti; Te vita & victo-
ria sequitur. Quod dum ego hodie non tam demonstrare,
quàm jam dudum demonstratum repetere meditor, vos Audi-
tores humanissimi, gratosè favere aures, & perorantem aus-
cultare patienter, flagito, ut velitis.

Si quando humani ingenij magis eluxit sagacitas, tunc
certè cùm nominis immortalitas litem indixit mortalibus, cuius
obtinendæ lactati spebus, pleriq; solo mortis armantur contem-
ptu, facilius fusuri sanguinē quàm negleguntur Nominis immor-
talitatem. Plurimi nomen suum immortali inscribunt cedro,
Piramides ac colosso in vicinarum nubium erigunt invidiam,
educunt in Cælos peregrino marmore palatia, eburneis laque-
aribus suspendunt tecta, ut vel in his nominis eorum firmetur
immortalitas. Verùm si alio vultu quàm virtutis conspicui
famam publicè damus, nec majores exiguâ tumba, nec diu-
turniores fragili tabula, aut erectis in columnis appareamus, quæ
vel mole sua ruunt, vel cæli consenescunt injurijs, vel edaci-
tate

tate temporis in humilem deducuntur arenam. *Sola virtus Parens est immortalitatis; attestante Dionysio; ipsa creat immortales, ipsa Aeternitatem invehit, ipsa caelo inserit, ipsa perennaturae famae inscribit fastis: Nullus enim sublime aeternitatis attigit fastigium virtuti non innixus; nullus ad auream perennaturae famae pervenit messem, qui non per virtutis ivisset sementem; nullus ad floridas immarcescibilésque insulas annatavit, qui non per scyllas & charybdes heroica superatas virtute navigaverit; nullus ad floridum ipsa aeternitate promontorium quassatam procellis jecit anchoram, cuius onerariam virtus non direxit; sive te triumphales invehant curules Capitolio, nondum fata mortisque excedis juga; sola quippe haec excedit virtus; sive honorum fasces securésque prehendas, his minimè terretur Libitia, immò eas succidit frangitque falcibus. Frustrà igitur frustrà mortalis animi roborisque heroës, per frequentiora hostiū agmina catafractásque acies immortalem nominis quaeritis famam, eamque perennaturam militari stylo aut hostium cervicibus aut triumphalibus colossis inscribitis, etiam etiam haec Magni Nominis elogia edax rerum consumit tempus, cuius bellaria sunt ipsæ ruinæ; Sola est & unica virtus, quæ immortale decus præbet animo, Nomen cedro auróque Aeternitatis inscribit fastis; sola illa humanam prætergressa conditionem, mortales caelo insertos ipsâ donat immortalitate. Verùm ut clariùs assumptum elucidetur thema non Delphici Apollinis oracula, sed inconcussæ veritatis assumo testimonia. Non scio quo fato acciderat, horridam cæteroquin confaternari mortem, totamque metu concuti; dumque de latibulo circumspicit, obviam pulmenti Ollam ingreditur, asylum speratura. Sed subito prodita, minimè substítit: Clamaverunt enim ad Elisaum 4. Reg.c.4. Filij prophetarum: Vir Dei mors in olla, mors in olla. Miseret me tui ô misera mors! infirmum Consilium secuta, debile asylum petiſti, campum, arma & te ipsam amittens. Claudite ollam sapientissimi Prophetarum filij, caelo favente, haec vobis præda cadit; vos mortis Domitores & Dominatores, mortis mors Oſea. 13.*

Ose: 3.

facti, canite victorias, Tuba infonet : *Ubi est mors victoria tua?*
Ubi stimulus tuus? Nos mors tua? mors. Mortem in olla vidimus;
jam filios Prophetarum, florentissimam pientissimorum Patrum
progeniem, sapientum ornatissimam hæreditatem, consideremus;
qui sunt & ubi sunt? Mariam Prophetissam esse imo &
Prophetarum Reginam quis ambigat? clarum est Dionysij Car-
thusiani effatum: *Præelectissima Virgo dum vixit adhuc in corpore*
mortali interdum raptæ est in divitias Glorie Dei, usque ad summa
Trinitatis visionem, multò itaque clarius frequentius ac diuturnius

S. Antonius quām Paulus & Moyses. Dionysio consentit Antonius: etiam
par: 4. tit: *in ipso conceptus vel partu B. V. datum est ut wideret clare mysteria*
15. c. 17.

Revelat S. Brigitæ 6. 12. *sicut in Patria.* Confirmant id ipsum Divæ Brigitæ revelatio-
nes: *sicut Filius Dei unigenitus statim perfectum sensum habuit,*
qui in ejus utero humanatus fuit, ita & Maria in juniori ætate sen-

suum & intellectum adeptæ est. Si sigitur Maria Prophetissa, Soda-
les Mariani, quid aliud sunt quām Filij Prophetarum, quia Ma-
riæ Filij. Ex quo concludere licet, quod ergo fuit mors Fi-
lijs Prophetarum, idem & Sodalibus Marianis, quia Matris vi-
ventium Filijs; Filij Prophetarum domitores mortis effecti
nunquam moriendi adepti privilegium, Filij Mariæ semper vi-

Joann. 12. vendi obtinuerunt gratiam. Mirabar semper cur Joanni Apo-
stolo Incarnata dixerit sapientia: *sic eum volo manere, id est, sem-*
per vivere, nunquam mori, mirabar inquam hanc Joannis præ

alijs Apostolis prærogativam; at se ipso jam Christi elucidatur
Joann. 19. dictum omnisque evanescit admiratio. *Joannes Mariæ Filius:*

Mulier ecce Filius tuus; mirum ergo non est si discipulus ille non
moriatur, si semper vivat. A Joanne ad David digredior;
qui mortem populi Israelitici Goliath Gigantem Philistæum
devicit, nullâ experientiâ militiæ, nullo Loricæ usu, nulla lan-
ceæ dexteritate aliorūmve armorum habita; unde deterrebat

1. Reg. 6. 17. eum Saul: *Tu non vales resistere Philistæo illi, nec pugnare adver-*
sus eum, quia puer es. Ast David intrepidè tamen: *vadam &*
austeram opprobrium populi; & cum venisset: *despexit eum Goli-*
ath: suit enim adolescens rufus & pulcher aspectu, dixitque ei: Nun-

quid

quid ego canis sum , quòd tu venis ad me cum baculo ; veni dabo carnes tuas volatilibus celi & bestijs terra. Gratiola sanè invitatio ! verùm intrepidus reponit David ; *Dabit te Dominus in manu mea , & percutiam te , & auferam caput tuum à te.* Pulchrum Solamen ; sed unde David tanta fiducia ? tantus Spiritus & audacia ? auscultemus orantem : *Custodi animam meam , Psal: 85. quoniam Sanctus sum , salvum fac servum tuum DEUS meus spe- rantem in te , respice in me & Miserere mei , da imperium puerotuo , & salvum fac Filium Ancillæ Tuae.* Bene habet: David Filius An- ^{1. Reg. c. 17}cillæ ; certa victoria. *Prævaluítque David adversùm Philistæum.* Hæc Ancilla Domini Mater Viventium terribilis ut castrorum acies ordinata, David filio suo subministravit robur & fortitudinem , ut solus valeat, quod nemo alijs valuit nec valere potuit, tam horrendum tam feliciter & facilè prosternere hostem, qui totius populi hebræi credebatur & timebatur mors infalli- bilis. Facilè est igitur O Filij Mariæ DD. Sodales Parthenij, ita pugnare ; facilè è *Turri eburnea* hostem provocare , è *Domo aurea* cum hoste dimicare ; facilè præsente *terribili ut Castrorum acie bellantem* propugnante, ausibus impetuosis hostem impetere ; facilè uno verbo *in Janua Celi*, mortem prosternere, nomenq; consequi immortale. Pace vestra DD: Sodales Parthenij, li- ceat mihi tantisper repetere acta ab antiquis secula, mausolæa æternitati Sacra ingredi , a tria fumosis heroum, imaginibus au- gusta introspicere. Quæ illæ species virorum ; quam illustres formæ, quam admirandæ ! Vivit adhuc , & totum uno vultu spirat Codes exercitum ; ardet assumptis ignibus Scevola ; insul- tant hostibus devota Patriæ Deciorum capita ; Fabij Vejos fati- gant, Annibalem Alpes horrent, Scipio Africam premit, Pompejus triumphat, Augustus legem Orbi dicit. At mortalis hæc immortalitas, quia ad Gentilitatis damnata tenebras. Habeat igitur suum Scipionem Africa, Pompejum Roma , Annibalem Cannæ , nec enim Alma hæc Sodalitas suis Amilcaribus caret , nec ab his desiderantur Annibales; Adoro jam tot soles ipso occasu orientes, quot Mariæ filios. In quibus recensendis

perexigua me circumstat sollicitudo nè nimius , maxima nè
sim infinitus: ità arduum est vel cogitatione obire singulos. quid
Universos! Inveniam proinde veniam, si pauciores recensue-
ro, Historico quām Oratori similior. Prodere illos est ani-
mus, non prædicare, Adeste igitur infracti, asserti mei, te-
stes, Immortales DD. Sodalium manes; Loquatur hic de vo-
bis fama, & quos immortalitati consecravit, repræsentet.

ILLUSTRISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS
DD. IGNATIUS CAROLUS
S.R.I. COMES DE STERNBERG, &c.

Triumpha, quot annis Te ipsa mirabilior
Sodalitas ;
Omnium de Te judicia vicisti.
Virtutis ac scientiæ externa prodigia
Infra miracula pridem posita
Ad comparationem Tuam viluerunt.
Quid ego hic alios? ubi dictis fidem adstruit

ILLUSTRISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS
DD. IGNATIUS S. R. I. COMES
DE STERNBERG.

Etiam hodie manet controversum,
Plūsne Scientiâ Curiam Vigilantissimus Præses
An Virtutibus Marianum Coetum pientissimus Sodalis
Ornaverit.
Post multa Illustrissima facta & acta
In Regni Areopago incorruptissimus Aristides.
Terrestre numen dicerem,
Nisi quòd deputatus Regiarum Appellationum Præses
Iratus vitijs, offenderetur injustitijs,
Non placaretur nisi virtutibus.

Cadere

Cadere tamen debuit.
At vel in ipso occasu, nactus ortum.
In umbris IGNATIUS coruscat serenius.
Nihil sideri ejus nocent mortuales umbras,
Etiam ab his assurgit Illustrissimum.
Nec obscuratur;
Et si accedat ad Lucem illam, quæ est,
Electa ut Sol
Natura enim Sideris ejus est
Validiorum Siderum exortu non obscurari.

Canticum 6.

ILLUSTRISSIMUS & EXCELENTISSIMUS
D. D. ROMEDIUS CONSTANTINUS
S. R. I. COMES DE THUN, &c.

Hic est veræ gloriæ apex
Invitum apparere:
Cum tota laudabiliter factis emineas in vita.
Divinum quid habent Modesti hominum animi,
Ponunt & ipsi latebras latibulum suum;
Equibus tamen ceu soles nubibus intercepti,
Radios evibrant Clariores.
Dignitatis fastigio positi supra multos,
Submissione eunt infra omnes.
Talem semper suspexit Sodalitas nostra

ILLUSTRISSIMUM ac EXCELENTISSIMUM
D.D. ROMEDIUM CONSTANTINUM
S. R. I. COMITEM DE THUN.

Qui in agone positus vitæ & famæ integer:
Supremum doluit;
Non quod vitam, sed quod DEI ac DEI paræ obsequia poneret.
Illa enim Heroæ mentis dos est,
In virtutum ac meritorum procursu non consistere.

Marianus Sodalis
Nihil non egit Sodale dignum.
Augustissimi Cæsaris intimus Consiliarius

Bonum publicum
Præsentissimis moliebatur consilijs.
Tantum igitur in tantillis Cineribus venerare Sodalitas.
Quanquam Magnorum vel cinis parvus esse non potest.
Grandescit in Marmora, afflurgit in Obeliscos
Débitâ bene meritis Metamorphosi.

ILLUSTRISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS
D. D. FRANCISCUS CAROLUS
LIEBSTAINSKY, S. R. I. COMES à KOLOVVRAT, &c.

Fortunæ altercantis, non fortitudinis,
Mortalitatis hic Casus est; non Francisci.
Stat Ille in Casu imperfracitus,
Qui currebat in cursu indefessus.
Terram & saxum movisti, non animum.
Fregisti ô Mors rotam Fortunæ,
Non Fortunam.
Jungis gentilitiam ejus rotam feretro,
Hæc est Fortunæ poena, non Francisci.
Quæ, ubi fatali sùsque déque vivo volveretur cursu,
Stare cogitur,
Terminumque cum vitæ Volubilitate figere,
Immota in sepulchro.
Gentilitia rota Tua pergit integra in cursu felicitatis,
Pergit in Æternitate nullum terminum habitura.
Stabilis in cursu virtutum.
Pergit post fata ad Factorum merita & præmia.
In hoc tantum mutabilis,
Quòd è terra in cœlo, viam acceperit,
Viam Lacteam; quia sinceram
Viam pulchram:

Quia

Quia Pulchrae ut Lunæ Mariae.
Eccur?

ILLUSTRISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS
DD. FRANCISCUS LIEBSTAINSKY
S. R. I. COMES à KOLOVVRAT.

Primum pietatis rudimentum posuit annis rudibus simul
& excultis

Cùm Pueritiam magnæ Virtutis Objectu superavit.
Jurares tenerioris plantæ robur Seculare,
Quod fructuum copia non fregit;
Bene tamen inclinavit, sed ad modestiam.

Miraculo par!

Ubi omnia ad fastum erigunt, non extolli.
Unam in Te adverto elationem Illustris: COMES.

Virtutibus ac meritis in tumulum porrectis
Kolovratianum simul & Tuum nomen extulisti.

Sit tua de Stilicone claudicavit veritas

Rectius de Kolovratianorum

Domo, dixeris Claudiane :

Quæ divisa Beatos

Efficiunt, Collecta tenet.

ADMODUM REVERNDUS ac EXIMIUS

P. JOANNES DUBSKY, S. J.
SS. THEOL: DOCTOR. Coll: Novod: Rector.

Parùm de suis habet, qui Tua non apprehendit.

Seu Tu Sanctioribus pro rostris peroras

Seu Doctorum medius disputas,

Tantùm pendentium ab ore Tuo aurium, dolor es,

Quando definis.

Mirentur in Te multi plurima, ego unum.

Bellum

Bellum vitijs intulisti prius, quam illa nosse,
Ante superasti, quam nosse posses.
Proiectus in Sublime
Doctoris, Rectoris, etiam Magnifici fastigium,
Et nec Tibi, nec nobis videris elatus.
Athenas non vidisti, & Minervam rapuisti.
Ita Virtutem Religiosam jungebas Scientiarum.
Ut & scientia Virtute, & virtus Scientiarum juvaretur.
Cessisti tandem morti humilis abiens
Ad Ancillam Domini MARIAM.
Ac cuius cultu, quo ad vixisti, non recesseras.
Merueras quidem, ut Mors etiam Tibi cederet,
Cui Nihil in via fese opposuit, quin illico cesserit.
Nisi iniquum caelo videretur,
Immortalium operum Hominem Divinum, inter Mortales
diutius Supereffe.

ADMODUM REVERENDUS ac EXIMIUS

P. EMMANUEL DE BOYE, S. J.
SS. THEOL: DOCTOR. Coll: Niss: Rector.

Magnarum virtutum ac meritorum pondere pressus,
haud oppressus
Requiescit à laboribus

P. EMMANUEL,

Pretium apud Orbem ne quæsieris,
Toto vertice Tuis annuit laboribus,
Cum in suo Capite, Roma,
Te Tuaque luculenter approbavit.
Quot Collegiorum regima recenset
Totidem Elegia tenet

Quibus

Quibus ut adderet perpetuitatem,
Conscripta duorum Martyrum immortalia gesta
posteritati reliquit.

Movit tandem cœlo invidiam.
Cum enim cogitaret agerētve immortalia,
Videri Mortalis desijt.

REVERENDISSIMUS ac ILLUSTRISSIMUS
D.D. JOANNES IGNATIUS

DLAUHOVVESKY DE LONGA VILLA,
DEI & Apost: Sedis gratia Episc: Milevit: &c.

Tibi injuriam ò invida fecisti Libitina
Ubi Reverendiss: D. Dlauhovvesky caducis privâsti bonis,
Donasti æternis.

Exhæreditasti illum terra,
Constituisti cœli Possessorem.

Accepisti Episcopalem Tiaram,
Sed non Coronam justitiæ;

Pedo tantum, non virtute, pedisequa.

Quid illa Tua, dejectâ omni pompa pedestris & humilis Brun-
dusium toties repetita, vult processio?

Quid noctes insomnes? quid Liberalitas?

Totam Te hic, ausim dicere, exhausisse Munificentiam.

Perorant id pientissimæ pauperum multiplicis statûs
fundationes,

Novam mutationem fecisti.

In terra coemisti.

in cœlo vendidisti.

In terra congregasti,

In cœlo fundasti.

In terra clargitus,

In cœlo recepisti.

Basilicas Sanctis ædificando,

Templum Salomonis possedisti,

M A R I A M.

Verùm subsiste jam audax nimium calame , qui Icareo
planè ausu (nisi quod extra fabulas) ad singulos & singulares ,
sub protectione Matris viventium , immortales Parthenios ma-
nes , evadere contendis . Nec tuæ facultatis est recensere
omnes , nec illi , pagellæ unius augustijs arctari possunt , qui
cælo tantum capi omnes queant , æternitate numerari . Nemo
succenseat ; quod multos Matri viventium ex asse mancipatos
non adduxerim , plurimos illaudatos solo magnorum stylo
veneratus sum , silentiō , nè quis immensum eorum censum à
me expectaret . Quiescite jam securi : quia sub protectione
Matris viventium Mariæ immortales . Tu verò Alma Sodali-
tas , veniam dabis , quòd in hac non luctuosa , sed deliciosa
colorum catastrophe , absque lugubri figurarum nænia per-
oraverim ; convitum enim felicissimè viventibus nunquam
mortuis manibus fecissem , si in doloris catastrophæ periodos exten-
dere voluisse , ubi doloris nullum argumentum : nam teste An-
selmo , Maria *Vita Paren̄s* , *salutis Mater* , *Vita Mortuorum* : Sta-
bit itaque evicta veritas hodie quo ad mundus consistet . Mori
neminem , quisquis per Virtutem , Mariæ se junxerit . Ejama-
nes Parthenij , supremum intonat classicum , consurgite Fi-
lij Vitæ , & felicissimæ Vitæ occurenti in Æter-
nos amplexus procurrите .

D I X I.



SYLLABUS

DD. Confederatorum piè (ut confidimus) in Domino Defunctorum

Ab Anno 1700. Die 8. Augusti usque ad Anni 1701. 30. Aprilis.

Reverendissimus ac Illustrissimus DD. Joannes Ignatius Dlauhovvesky de Longa Villa, DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Milevitanus, Archi-Diæcesis Pragensis Suffraganeus, S. Metropolitanæ Ecclesiæ ad D. Vitum Præpositus, Cathedralis Litomericensis, & Regiæ ac Exemptæ Wissehradenfis, Antiquissimæ Vetero-Boleslavienfis Ecclesiarum Canonicus, Hæreditarius D. in Krasilovv, Zahorziecz & Hosticz. Pragæ 10. Januarij, 1701.


Reverendissimus Prænobilis ac Præcellens D. Wenceslaus Czapeck SS. Theologiæ Baccalaureus Formatu\$, Antiquissimæ Ecclesiæ Vetero-Boleslavienfis ad SS. Cosmam & Damianum Canonicus Proto Notarius Apostolicus, necnon Urbis Polnensis Decanus, VeteroBoleslavie 27. Januarij.

Admodum Reverendus D. Samuel Franciscus Hehn, Kralupenfium & Rzecicensium Curatus, Kralupij 28. Februarij.

Admodum Reverendus ac Doctissimus D. Adalbertus Wolfgangus Czackert AA: LL. & Philosophiæ Magister Ockenaviensium Curatus : Ockenaviæ 17. Martij.

Perillustris ac Generosus Dominus Rudolphus Franciscus Dobrzensky Eques de Dobrzenitz. Dominus in Dobrzenitz Chvalkovvitz & Schveinschädel. Dobrzenitij 22. April.

Nume-



Numerum tercentesimum horum obitu imminutum compleverunt.

PErillustris ac Generosus D. Joannes Wenceslaus Kuhnisch de Machovvitz Dominus in Sacro Campo, Sac. Cæsar: Reg. Majest: Consiliarius , Judiciorum Camera-tici & Feudalis Assessor , & ViceScriba in Regno Bo-hemiar.

Admodum Reverendus ac Doctissimus D. Joannes Matthæus Alexius Kühnel AA: LL. & Philosophiæ Magister Höfflicensium Curatus.

Perillustris D. Ioannes Theodorus à Rumersklich Dominus in Pruchonicz. S. Cæs. Reg. Majest: ad Cameram Au-licam Consiliarius & Secretarius.

Illustrissimus ac Magnificus DD. Albertus Leopoldus Pa-czinsky. S. R. I. Comes de Tenczin & magna Paczin Hereditarius Dominus in Byczin, Kravvarz, Lon, Wi-dovv, Tatichhoff, Rudno , Kleschoff: Sac: Cæs: Reg: Majest: Consiliarius , ac Ducatum Oppoliensis , & Rati-boriensis Cancellarius.

O. A. M. D. G.